



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Capitularia Regvm Francorum

Additae sunt Marculfi monachi & aliorum formulae veteres, & Notae  
doctissimorum virorum

**Baluze, Etienne**

**Parisiis, 1677**

19. Item de eadem re.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-22974**

*Item de eadem re.*

Ex eodem.

XIX. **O**Rthodoxorum catholicorum patrum divinitusque inspiratorum canonum promulgavit auctoritas per universas provincias pro ingruentibus ecclesiasticis fluctuationibus ut nullus Episcopus, sacerdos, aut aliquis fidelis ordo ecclesiasticus se presumat vindictam exercere in armis carnalibus, nisi tantum in oratione & virtute Spiritus sancti & canonica damnatione feriat. Quod autem sedes Episcoporum & thronus speculationum & potestas iudicandi & solvendi atque ligandi à Domino est illis data atque concessa, sicut ipse Salvator in evangelio ait: *Quaecunque ligaveritis super terram, erunt ligata & in caelo; & quaecunque solveritis super terram, erunt soluta & in caelo.* Et alibi: *Accipite Spiritum sanctum. Quorum remiseritis peccata, remittantur eis. Et quorum retinueritis, retenta sunt.* Ideo ista praecolumus, carissimi, ut intelligatis potestatem Episcoporum vestrorum, in eisque Deum venerimini, & eos ut animas vestras diligatis, & quibus illi non communicant non communicetis, & quos ejecerint non recipiatis. Multum enim timenda est sententia eorum, quia à Domino collata est illis potestas ligandi atque solvendi. Ob hoc igitur ego Salla indignus, non meis meritis, sed nutu Dei Episcopus, tanta audita sanctorum patrum canonum instituta, cum consensu & adiutorio Domini Vivani Barchinonensis Episcopi, seu etiam Domini Aimerici Episcopi, cum Canonicorum & sacerdotum nostrorum necnon & Abbatibus vel monachorum suffragia, accensi flamma Spiritus sancti, excommunicamus atque alligamus omnem episcopatum Cerdaniensis vel Berchitanensis ad Patrem & Filium & Spiritum sanctum, & omnes Ecclesias quae in dictos comitatus sunt, tam praecipuas quam suffraganeas qui infra ejus termines sunt, ut non habeat ibidem nullum ministerium sacerdotale factum nisi per nostra absolutione aut per

nostra propria voluntate de feria tertia post Dominicam primam de quadagesima inantea usquequo praedictus episcopatus redditus sit ad sancta Maria & in nostra sit potestate cum ipsas parrochias quod nobis abstulerunt vel rapuerunt & cum ipsos oblatos qui exinde exierunt. Veruntamen sciatis quia ipsa Comitissa Domina Emergards cum filios & filias suas nec excommunicamus, nec nullius vinculo canonice damnationis contra eos facimus, sed tantum omnes homines tam Clericos quam laicos qui hanc malitiam tractaverunt adversus sancta Dei Ecclesia, & consilium dederunt ad ipsa Comitissa & filios suos de hunc maximum peccatum, & vastatores fuerunt atque raptores & fraudatores vel sacrilegi & fures, sicut Iuda proditor. Hos tales praesumptores & Ecclesiis sanctae Mariae raptores, vel suarum facultatum alienatores, excepto ipsa Comitissa cum filios suos, nos supradicti Salla Praesul & Vivas gratia Dei Episcopus & Aimericus Episcopus cum Canonicorum & sacerdotum nostrorum, sive cum Abbatibus vel suffragia monachorum, excommunicamus eos ad Patrem & Filium & Spiritum sanctum & per omnes ordines angelorum & archangelorum & omnes virtutes caelorum, sive per omnes Patriarchas & Prophetas, & per omnes Apostolos & Martyres vel Confessores, & per omnes sanctos Dei sic eos excommunicamus & anathematizamus atque abominamus & alienamus eos atque abjicimus à liminibus sanctae Dei Ecclesiae, & segregamus eos à corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi & à consortio Christianorum fidelium usque ad dignam satisfactionem & emendationem veniant ante altare sanctae Mariae sedis Vico & coram Salla Episcopo & Canonicos ejus, & usque absolutionem habeant de supradicto Salla Episcopo, ita permaneant excommunicati & abominati sicut jam supra dictum est in secula seculorum. Amen.